20 Junii 1605

Extractum Causae Controversae eiusdemque decisionis inter DD. Bartholomaeum et Joannem Blocios ab una, et Matthiam Soppun ab altera parte. Ex Actis Visitationis territorij ~~[illegible]~~ Allensteinensis: Anno 1605 die 20 Junij celebratae. Sub Visitatoribus VV. DD. Thoma Tretero Custode, Martino Kolacky, et Paulo Gornicki Administratore Allensteinensi: Canonicis Warmiensibus: Cuius tenor de verbo ad verbum est talis.

Matthias Soppun adcitavit DD. Bartholomeum et Joannem Blocky, Causa dotis coniugis suae Catharinae, sororis Blociorum in summa 700 fl. polonicalium. In termino ipso, Bartholomeus ipse comparuit, Joanne non comparente. Actione a Matthia instituta solutionem dotis vigore Testamenti Paterni sibi a fratribus coniugis solui petijt. Bartholomeus Conventus initio ob absentiam Fratris litem contestari recusavit. Responsum illi, Causam esse unam et eandem communemque paternumque Testatum esse liquidum, videlicet sorori dotis 700 fl. soluendos. Excepit, esse quidem hoc paternum testatum, sed quandoquidem nupsit ignobili, et invitis fratribus, eos ad solutionem tantae dotis non teneri. Reddidit Actor: Honesto, et quidem tali sororem ipsorum nupsisse cum consensu Matris et Tutorum qui dicti parentis ipsis gesserunt, et proinde solutionem dotis sibi adiudicari ex testato paterno petijt. Cumque partes ulterius nihil ad allegandum haberent decisum fuit. Fratres Blocios ad solutionem dotis obligatos vigore testamenti paterni, cum eiusdem testamenti vigore bona diuisa possideant. Qui igitur pro festo S. Martini instante, primi Catharinae 350 fl. polo: soluent. Immoto pede Bartholomeus ad V. Capitulum appellavit Appellatio concessa et terminus praefixus 18 Augusti qui Domino Agapito datus est.

Prosequutus est Appellationem hanc Bartholomeus Blocky et in termino praefixo coram V. Capitulo ipse personaliter comparuit, Cum autem praeter superius allegata, nihil haberet solidius, quod ad tuendam Causam suam contra Matthiam Soppun inferret; Is autem VV. DD. Visitatores suo decreto firmiter inhaererent, Capitulo conclusum est, male appellatum a D. Blocio et bene a VV. DD. Visitatoribus in hac Controversia decisum. Ac proinde ipsum Blocium pro assignato sibi ab eisdem DD. Visitatoribus termino, ad solutionem dotis Catharinae sororis suae, Matthiae Soppun coniugis de iure teneri et vigore Testamenti paterni obligatum esse. ~~[illegible]~~ In cuius rei fidem Capituli nostri sigillum praesentibus est subappensum. Actum ut.